Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Lv̈deri Menckenii, IC. Facvlt. Ivrid. Lipsiensis Ordinarii Tractatio Synoptica Institvtionvm Ivris Ivstinianearvm Theoretico-Practica

Mencke, Lüder

Lipsiae, MDCCXXXV

VD18 11839880

Tit. IX. De Adsignatione Libertorum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18253

Visual Library

invito vel ignorante patrono ad civitatem Romanam venire ex beneficio principis feſtinarat, faciebat quidem vivum civem Romanum, Latinum vero morientem. Sed noſtra Conſtitutione propter hujusmodi conditionum vices, & alias difficultates, cum ipſis Latinis etiam Legem Juniam & Senatusconſultum Largianum, & Edictum divi Trajani, in perpetuum deleri cenſuimus, ut omnes liberti civitate Romana fruantur: & mirabili modo quibusdam adjectionibus ipſas vias, quæ in Latinitatem ducebant, ad Civitatem Romanam capiendam transpoſuimus.

** v. L. un. C. de lat. lib. toll.*

TIT. IX.

De Adſignatione Libertorum.

An adſignari poſſit, & quis adſignationis effectus.

IN ſumma, quod ad bona libertorum pertinet, admonendi ſumus, cenſuiſſe Senatum, ut, quamvis ad omnes patroni liberos, qui ejusdem gradus ſunt, æqualiter bona libertorum pertineat, tamen licere parenti, uni ex liberis adſignare libertum, ut poſt mortem ejus ſolus is patronus habeatur, cui adſignatus eſt; & ceteri liberi, qui ipſi quoque ad eadem bona, nulla adſignatione interveniente, pariter admitterentur, nihil juris in his bonis habeant: ſed ita demum priſtinum jus recipiant, ſi is, cui adſignatus eſt, deceſſerit, nullis liberis relictis.

De ſexu adſignati, & de ſexu graduque ejus, cui adſignatur.

1. Nec tantum libertum, ſed etiam libertam, & non tantum filio nepotive, ſed etiam filiæ neptive adſignare permittitur.

De liberis in poteſtate vel emancipatis.

2. Datur autem hæc adſignandi facultas ei, qui duos pluresve liberos in poteſtate habebit, ut eis, quos

quos in potestate habet, adsignare libertum libertamve liceat. Unde quærebatur, si eum, cui adsignavit, postea emancipaverit, num evanescat adsignatio. Sed placuit evanescere, quod & Juliano, & aliis plerisque visum est.

Quibus modis aut verbis adsignatio fiat ex Senatusconsulto.

3. Nec interest, testamento quis adsignet, an sine testamento; sed etiam quibuscunque verbis patronis hoc permittitur facere ex ipso SC. quod Claudianis temporibus factum est, Suillo Rufo & Asterio Scapula Consulibus.

TIT. X.

De Bonorum Possessionibus.

Cur introductæ bonorum possessiones; & quis sit earum effectus.

JUS bonorum possessionis introductum est a Prætore, emendandi veteris Juris gratia. Nec solum in intestatorum hereditatibus vetus Jus eo modo Prætor emendavit, sicut supra dictum est, sed in eorum quoque, qui testamento facto decesserint. Nam si alienus posthumus heres fuerit institutus: quamvis hereditatem Jure Civili adire non poterat, cum institutio non valebat; honorario tamen Jure bonorum possessor efficiebatur, videlicet, cum a Prætore adjuvabatur: sed & is a Nostra Constitutione hodie recte heres instituitur, quasi & Jure Civili non incognitus. Aliquando tamen neque emendandi, neque impugnandi veteris Juris, sed magis confirmandi gratia pollicetur bonorum possessionem. Nam illis quoque, qui recte testamento facto heredes instituti sunt, dat secundum tabulas bonorum possessionem. Item ab intestato suos heredes, & agnatos ad bonorum possessionem vocat.

* *Non extat.*

Landesbibliothek Oldenburg